Quelle: http://manuscripta.at/?ID=917
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



305
~~304~~
303

Stabant autem servi et ministri ad prunas quia frigus erat et calefiebat. Erat autem cum eis et petrus stans et calefaciens se. Pontifex ergo interrogavit ihm de discipulis suis et de doctrina eius. Respondit ei ihus. Ego palam locutus sum mundo. Ego semper docui in synagoga et in templo quo omnes iudei convenerunt: et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis. Ecce hi scunt quae dixerim ego. Hec autem cum dixisset: unus astans ministrorum dedit alapam ihu dicens. Sic respondes pontifici. Respondit ei ihus. Si male locutus sum testimonium perhibe de malo. Si autem bene quid me cedis? Et misit eum annas ligatum ad caypham pontificem. Erat autem simon petrus stans et calefaciens se. Dixerunt ergo ei. Numquid et tu ex discipulis eius es? Negavit ille et dixit. Non sum. Dicit unus ex servis pontificis cognatus eius cuius abscidit petrus auriculam. Nonne ego vidi te in horto cum illo? Iterum ergo negavit petrus. Et statim gallus cantavit. Adducunt ergo ihm a caypha in praetorium. Erat autem mane: et ipsi non introierunt in praetorium ut non polluerentur sed ut manducarent pascha. Exiit ergo pylatus ad eos foras et dixit. Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Respondunt et dixerunt ei. Si non esset